



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Fuldense monasterium in Silua Buchonia in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

multa beneficia ei contulerunt. Nam *Asvvinus & Fridericus*, Comites à Pogen, monasterium hoc ab Vngaris exustum anno 1102. instaurarunt; vnde non solum pro Aduocatis verum etiam pro secundis fundatoribus illius monasterij habiti sunt. Sic idem Hundius in Metropoli Saliburgensi.

CAPVT XXXVIII.

Fuldense monasterium in Silua Buchonia in Germania

ANnalia litteræ annum signant conditi Fuldenfis monasterij septingentesimum quadragesimum quartum ab ortu Christi. Testis Rodulfus historicus Fuldenfis, his verbis: *Monasterium constituit S. Bonifacius monachorum anno ante passionem suam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadragesimus & septuagesimus annus*: quo nihil dici potuit rotundius. Passus est enim S. Bonifacius anno 755. in Iunio; Rudolfo assentitur Marianus Scotus, & alij: Neque interest biennio citius à Sigeberto vel ferius ab alijs originem hanc litteris commendare.

Consummando monasterio auctores extiterè Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Caroli Martelli filius & Caroli magni patruus, nec nò Zacharias Pötifex Romanus.

Carolomannum Bonifacius Christianis non modò vitæ præceptis imbuerat, sed philosophari iam tum quoque docuerat. vnde ipsum ad omnia inchoatæ Religionis opera promptum, & monasticæ in primis rei patronum excellentem habuit. Iam verò Carolomanno per Turingos & Oriëntales Francos, ob motus Saxonicos frequens iter erat, vt ex facili, locum & sedem roganti Bonifacio apud Fuldam concederet. Qua de re vide lib. 2. Othlonum Fuldensem monachum, qui primus post S. VVilibaldum vitam S. Bonifacij accuratius exposuit.

Ceterùm Abbas Fuldensis est Primas per Germaniam & Galliam, Princeps imperij & Imperatricis Archicancellarius; Ex monasterio ac schola Fuldensi quamplurimi Episcopi, Archiepiscopi & viri scriptis celebres prodierunt: de quibus vide Christophorum Brotlerum Soc. Iesu presbyterum, qui libros 4. Antiquitatum Fuldensium conscripsit.

Thierhaubtense monasterium, tertio lapide ab Augusta Videlicorum.

750. **E**st id non procul à Lico ad riuum Achsitum, fundatum in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, à potentissimo Duce Bauariæ Tesselone, anno Domini 750. quo fere tempore idem Dux *VVessespromen* eiusdem ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum fluuios erexit; auctum verò & locuplerta-